



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi**

**Latomus, Jacobus**

**Antverpiae, 1587**

De Prætoꝛe, Calliditate rustici inducto, Vt contra se sententiam ferret.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)



Nimirum vt populo semper contrarius irem,  
 Omne fuit studium propositumque mihi.  
 Quicquid enim magno consensu amplectitur ille,  
 Inuisum meritò debet habere sophos.

DE PRÆTORE, CALLIDITATE  
*rustici inducto, vt contra se sententiam ferret.*

PRætoris fundo quum proxima rura teneret  
 Rusticus, in medio vt non nisi fossa foret,  
 Accidit illius fors taurus vt huius in arua  
 Irrueret, nullo vim prohibente metu:  
 Ipfius vtque ferox occideret antè iuuenam,  
 Adueniens aliquis quàm dare posset opem.  
 Ergo miser damno percussus rusticus isto,  
 Consilium vafro pectore tale capit:  
 Prætorem facti ignarum petit impiger, atque  
 Ciuibus vt vidit reddere iura suis,  
 Tempore quo voces vllas emittere nulli  
 Fas erat, assensum ni prius ille daret:  
 Heu bone Prætor, ait, fas ne est mihi dicere pauca?  
 Cui Prætor, fas est, si modo pauca, refer.  
 Quàm tenuis limes nostros disterminet agros,  
 Fossaque vt hos dirimat non spatiosa, tenes:  
 Hanc noster taurus transgressus forte, iuuenam  
 Quod doleo, occidit Prætor amice tuam.  
 Quam pœnam tauri dominum sit pendere iustum,  
 Et quid constituent hic tua iura, doce.  
 Cui Iudex: precium vaccæ, vicine, necesse est  
 Soluere, sic leges, iuraque nostra volunt.  
 Rusticus, vt rursum dicendi facta potestas,  
 Erravi imprudens, optime Prætor, ait.

F

Quippe



Quippe tuus nostram volui tibi dicere vaccam  
 Occidit taurus, lapsaque lingua mea est.  
 Hic Prætor, res est alia hæc respondet, at ille,  
 Imo eadem, Iudex, vnaque prorsus, ait.  
 Gaudeo, dixisti mihi ius æquumque bonumque,  
 Quale sacrae leges, scitaque vestra iubent.  
 Sic vater interpres iuris delusus iniqui,  
 Iudicij pœnam pertulit ipse sui.

IN OBITVM D. IOAN. COSTERII,  
*Prioris Martinens. apud Louan.*

**C**osterius iacet hic, satis hoc monuisse viator,  
 Nempe quis audito nomine plura roget?  
 Sponte tibi hic subeunt niuei, & sine crimine mores  
 Canaque cum summa religione fides.  
 Inuictum pectus, nulli penetrabile culpæ,  
 Virtutis custos, nequitiaque fugax.  
 Intentum studiis semper, sanctoque labori,  
 Denique per cunctos vita probata modos.  
 Arribus in cælum si quis grassetur eisdem,  
 Expectet placidum post sua fata Deum.

ADVERSVS ELOGIA QVÆDAM  
*conscripta in laudem præcipuorum nostri  
 temporis hæreticorum.*

M. LUTHERVS.

**Q**viueris attonitas hominum percellere mētes,  
 Quolibet & dictis flectere corda tuis,  
 Sparseris & latè diuini semina verbi,  
 Ausoniumque fero presseris ore Papam:  
 Nil tamen est quod te possit transcribere cælo,  
 Quòd tantum Stygiis sint tua grata plagis.